

betur infra cap. 13. cum Paulo vocatus fuit ad Apostolorum. Hic autem distinctus est ab illo Joseph, qui cum D. Matthia accepit fortes ad Apostolorum, ut tenent hic D. Chrysof. homil. 11. D. Hieronymus de viris illustribus; ille enim cognominatus est Barnabas, iste vero Barnabas, ille, ut notat Lyranus, dicitur Alpei filius, sicque de Galilæa natus; iste vero dicitur Cyprus, & sic de Cypro natus: iste scribitur genere Levites ortus ex tribu Levi, de qua tribu non videtur fuisse Alpeus ille alius.

Dicitur Levites; hoc est, ejus parentes erant ex tribu Levi; Levitæ Deo consecrati prohibebantur habere agros in Iudæa, Num. 18. n. 20. Tamen in alia terra, seu Provincia poterant habere, ut notat Lyran. imo & in Juda poterant habere, si essent pauciales ad alenda pecora, Num. 25. n. 3. Alexander in vita Barnabæ existimat agrum fuisse in Juda; Hugo, & Lyranus tenent fuisse in Cypro, & à suis parentibus emptum.

Cyprus. Judæi post captivitate Babylonicam dispersi, ac divisi sunt per totum Orbem, & in variis partibus constituerunt domos, Parentes Barnabæ in Cypro, ubi ipse natus; deinde divino impulsu se transfulerunt Jerusalem, ut tradit Alexander in ejus vita, ubi cum Stephano, Saulo, atque aliis sacras literas didicit sub Gamaliel Magistro, ac tandem ad Christum D. venit cum consobriño suo Ioanne, qui appellatus est Marcus, in cujus domo cepit nova Christi Ecclesia crescere, ac pullulare, ut sæpe dictum est; Barnabas autem fuit unus ex 72. Domini discipulis, ut tradunt D. Epiph. hæresi 1. Clem. Alexand. lib. 2. Strom. Eusebius lib. 3. H. stor. cap. 33. & alii ita existimant.

CAPUT V.

- 1. Vir autem quidam nomine Ananias cum Saphira uxore sua vendidit agrum.
2. Et fraudavit de pretio agri conscia uxore sua: & afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit.
3. Dixit autem Petrus: Anania cur tentavit Satanæ cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudari de pretio agri?
4. Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? quare posuisti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, sed Deo.
5. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit, & factus est timor magnus, super omnes, qui audierunt.
6. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, & efferebant sepelire eum.
7. Factum est autem quasi horarum trium spatium, & uxor ipsius nesciens quod factum fuerat, introivit.
8. Dixit autem ei Petrus: Dic mihi mulier, si tantum agrum vendidisti? at illa dixit: etiam tanti.
9. Petrus autem ad eam: quid utique convulsi vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & steterunt te.
10. Confestim cecidit ante pedes ejus, & expiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam, & extulerunt, & sepelierunt ad virum suum.
11. Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes, qui audierunt hæc.
12. Per manus autem Apostolorum fiebant signa, &

Distinctus ab alio. D. Chrysof. D. Hier. 155. Cur Levites. Num. 18. Num. 25. Hugo. Liran. Alexand. 156. Natus Cypro. Alexand. Ex Christi discipulis. D. Epiph. Clem. Euseb.

prodigia mira in plebe, & erant unanimiter omnes in porticu Salomonis.

- 13. Cæterorum autem nemo audebat se conjungere illis, sed magnificabat eos populus.
14. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum.
15. Ita ut in plateas egerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.
16. Concurrerat autem & multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes agros, & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes.
17. Exurgens autem Princeps Sacerdotum, & omnes qui cum illo erant (qua est hæresis Sadduceorum) repleti sunt zelo.
18. Et iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica.
19. Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit:
20. Ite, & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vite hujus.
21. Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, & docebant. Adveniens autem Princeps Sacerdotum, & qui cum eo erant, convocaverunt Concilium, & omnes Seniores filiorum Israël, & miserunt ad carcerem, ut adducerentur.
22. Cum autem venissent ministri, & aperto carcere non invenissent illos, reversi, nuntiaverunt, dicentes:
23. Carcerem quidem invenimus clausum cum omni diligentia, & custodes stantes ante januas, aperientes autem neminem intus invenimus.
24. Ut autem audierunt hos sermones Magistratus Templi, & Principes Sacerdotum ambigebant de illis quidnam feret.
25. Adveniens autem quidam nuntiavit eis: Quid ecce viri, quos posuisti in carcerem, sunt in Templo stantes, & docentes populum.
26. Tunc abiit Magistratus cum Ministris, & adduxit illos sine vi; timebant enim populum ne lapidarentur.
27. Et cum adduxissent illos, steterunt in Concilio, & interrogavit eos Princeps Sacerdotum, dicens:
28. Precipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto: & ecce repleti Jerusalem doctrinam vestram, & vultis inducere super nos sanguinem hominis istius.
29. Respondens autem Petrus, & Apostoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.
30. Deus Patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.
31. Hunc Principem, & Salvatorem Deus exaltavit, dextera sua, ad dandam penitentiam Israël, & remissionem peccatorum.
32. Et nos sumus testis horum verborum, & Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.
33. Hæc cum auissent, dissecabantur, & cogitabant interficere illos.
34. Surgens autem quidam in Concilio Pharisæus, nomine Gamaliel, legis Doctor honorabilis universæ plebi, ussit foras ad breve homines fieri.
35. Dixitque ad illos: Viri Israëlita, attendite vobis super hominibus istis quæ acturi sitis.
36. Ante hos enim dies extitit Theudas, dicens: se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circumier quadringentorum: qui occisus est: & omnes,

- omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum.
37. Post hunc extitit Judas Galilæus in diebus professionis, & avertit populum post se, & ipse perit; & omnes, quotquot consenserunt ei dispersi sunt.
38. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur.
39. Si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud,

- ne forte & Deo repugnare inveniamini. Consenserunt autem illi.
40. Et convocantes Apostolos, casti denunciaverunt ne omnino loquerentur in nomine Jesu, & dimiserunt eos.
41. Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu Concilij: quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.
42. Omni autem die non cessabant, in templo, & circa domos docentes, & evangelizantes Christum Jesum.

ARGUMENTUM.

ANANIAS, ac ejus uxor Saphira ob fraudatum, seu occultatum agri pretium subitanea morte plectuntur à Petro, cujus, & aliorum Apostolorum illi tristissima miracula scribuntur, qui incarcerati à Judæis, ab Angelo liberantur, tursus pertracti in Concilium, tunc Gamaliel valde prudenter loquitur pro defensione Apostolorum, ipsi tamen flagelli cæduntur, quibus mirifice gaudent, & exultant, indeque ferventius, ac audacius Christum Jesum prædicant.

Act. 5. v. 1. Vir quidam nomine Ananias cum Saphira uxore sua vendidit agrum. Num. 2. Et fraudavit de pretio agri conscia uxore sua, & afferens partem quandam, ad pedes Apostolorum posuit.

Versiones,

CVM EXPOSITIONE I.

Verf. 1. Ir autem quidam nomine Ananias. Ponit Evangelista nomen ejus, uxoris ad majorem expressionem veritatis, & quia isti cum uxore sua erant viri nobiles. Ananias H. braicè idem est, ac donum Dei: Unde opportunè Syriacus legit Cananis, id est mercator Domini; quia pretij partem Deo dicatam sibi tanquam mercator retinuit. Saphira Hebraicè idem est, ac numerans pretium scilicet agri. Vendidit agrum Syriacus fundum suum D. Chrysof. Possessionem suam Æthopic. Vincam eorum. Græcus Villam suam.
Verf. 2. Et fraudavit de pretio agri. Syriacus Abstrulit autem ex pretio agri, abdiditque, Syrus Reg. Atulit partem ex argento. Arabicus Et fraudans furatus de pretio. Æthopic. fraudaverunt incuentes consilium, tanquam consilio inito, & hoc indicat nostra Vulgata conscia uxore sua, & fraus fuit. Ait Interlinealis, quia totum voverant, sicut cæteri, & partem attulerant.

Hebr. Syriac. Significatio nominis Anania & Saphira. 2. Syriac. Arabic. Æthiop. Interlin.

Sacri Apostoli fecerunt tria vota. D. Hier. D. August. D. Thom.

QUÆSTIO I.

An Ananias habuerit votum paupertatis, & quando illud emiserit?

Sacri Apostoli doctrina Christi, ac illuminati gratia Spiritus Sancti omnes suas virtutes perfectissimo gradu adimplerunt, & inde tanta luce ditari bene agnoverant perfectius, & excellentius esse opus voto firmatum: ergo suas virtutes Obedientia, paupertatis, & castitatis voto firmarunt. Ita docent D. Hieronymus, D. Aug. D. Thom. & alii, quos citavi Opusculo 3. resol. 3. questione 5. num. 4. ubi hanc questionem latius tractavi, & hanc votorum perfectionem docuerunt Sacri Apostoli suos discipulos, fuitque valde frequens inter illos primitivos Christianos.

Partem negantem Ananiam, multosque ex primitivis Christianis fecisse votum paupertatis, ac tria vota negant omnes Hæretici Monastici status inimici, ut Calvinus, Marloratus, & alii hujus Calvinus furfuris, quibus ex Catholicis videtur subscribere Marlor. Cajetanus.

Contraria sententia, quod Ananias, & aliqui primitivi Christiani fecissent votum paupertatis, est vera, & communis inter Patres, & Catholicos. Cæteram aperte docent D. Chrysof. homil. 12. & ait: Quare hoc fecisti? voluisti habere? Oportebat initio certa, habere, & non promittere: nunc autem postquam concessisti, majus sacrilegium commisit. D. Aug. serm. D. Aug. 27. de verbis Apostoli: Dum (ait) ex eo, quod promiserat partem subtraxit; sacrilegiè damnatur, & fraudis: sacrilegiè, quod Deum in sollicitatione fefellerit: fraudis, quod integris numeris portionem quandam putaverit subtrahendam. D. Hieronymus. D. Hier. epist. 8. ad Demetr. ait: Ananias, & Saphira dispensatores timidi sumus corde duplici; & ideo condemnati, quia post votum abstulerunt quasi sua, & non ejus, cui semel ea voverant, partemque sibi jam aliena substantia reservantes. D. Gregor. lib. Epist. 33. ad Venantium, inquit: Ananias pecunias Deo voverat, quas postea victus persuasione diaboli subtraxit. D. Basil. Basil. serm. 1. de Institut. Monastica sic loquitur: Humana gloria cupiditate Ananias quidquam bonorum habebat Deo palam consecrat, ut hominum de se opinionem excitaret.

Idem docent multi alii Patres, quorum verba breviter causa omitto, D. Athanas. serm. de passion. D. Athanas. & Cruce, D. Cyprian. lib. 3. Testim. cap. 30. D. Na. D. Cyprian. Canone de virgine. D. Fulgent. de debito conjugali cap. 8. Cassian. Collat. 18. cap. 7. Ytraque Glossa, Ordinaria & Interlinealis, Petrus Damian. Damian. epist. 15. cap. 3. Magister Historiæ Ecclesiasticæ in Magist. Acta cap. 22. & communiter Comment. hic Occum. men. Anator. Beda, Carthusian. Lyran. H. go. Loranus, Cornel. Estius, Menoch. & alii, imo Hæreticus Beza.

Proba ut primo; quia Ananias fraudavit, seu, ut habet Abiecus, furatus est de pretio agri. Fraus, & furtum non fit in re propria, sed aliena, vel vendita, vel data, seu ex voto, seu promissione in alterius possessionem translata; fuit etiam sacrilegius: Ananias fur quia votum paupertatis, quod Deo promiserat, violenter violavit, servando sibi, & occultando partem aliquam; factum enim voto illud non erat suum, & sic fuit futurum;

